

tantum. Si numero, dabuntur duo accidentia solo numero distincta simul in eodem subjecto, contra expressam sententiam S. Thomæ. Si specie distincti, contra est, quia charitas regulata per fidem in vita, et per visionem in patria non distinguitur specie, cum charitas semper maneat, et nunquam excidat; ergo multo minus distinguuntur specie charitas regulata per scientiam infusam, et per visionem beatam.

XXXIX. Quod si iterum dicas, non meruisse Christum per amorem illum, quatenus ferebatur in Deum, sic enim erat necessarius, sed quatenus versabatur erga proximum, sic enim erat liber, sicut Deus eodem actu diligit se necessario, et creaturas libere, contra est; tum, quia inconveniens est Christum non mereri principali actu charitatis, scilicet amore Dei, si quidem charitatis non dat vigorem, principiumque merendi, quatenus amat proximum, sed quatenus fertur in Deum, inde enim meretur apud ipsum, quia diligit ipsum; tum etiam, quia vel est idem numero actus, quo Christus diligit Deum necessario, et proximos libere, vel diversus. Si diversus, sequitur inconveniens supra allatum, quod erunt duo actus solo numero distincti in eodem subjecto. Si idem, hoc implicat, quia ille actus quatenus liber potest exire, et non exire a potentia; potest elici iste, vel alius, hæc enim est libertas quoad exercitium in creaturis; ille autem actus non potest elici, et non elici, cum necessario eliciatur, nec potest alius distinctus elici: quia amor proximi est identificatus amori necessario Dei, qui cum necessario emanet, non potest omitti, et alius elici, ergo non manet libertas exercitii circa illum.

XL. Respondetur de materia huius argumenti latius tractari ad tertiam partem quæstionis XIX, ubi

agitur de merito Christi. Nunc admittimus, meruisse Christum Dominum per actum charitatis, sicut per actus aliarum virtutum; sed non secundum eundem statum charitatis, scilicet non secundum statum comprehensoris, sed viatoris, utrumque enim statum charitas Christi habebat: quia Christus comprehensor, et viator erat, et consequenter charitas illa, et necessitatem habebat, et libertatem secundum diversas considerationes, et formalitates. Unde dicit S. Thomas III p. quæstion. XIX, artic. III ad primum: « Quod Christus non meruit per charitatem in quantum erat comprehensoris, sed quantum erat viatoris, nam ipse fuit simul viator et comprehensor. » Et quæstione XXIX de veritate, artic. VI ad sextum: « Christus, inquit, non erat extra statum merendi, quia viator erat; et ideo charitate eadem fruebatur, et merebatur, sicut eadem voluntate. Nec tamen erat idem principium meriti, et præmii, quia non merebatur gloriam animæ, ad quam pertinet charitas, sed gloriam corporis, ut dictum est. »

XLI. Cæterum, quomodo istæ formalitates, et considerationes distinguantur in charitate, an taliter quod sint diversi actus, et versentur circa diversa objecta, unus circa Deum, alius circa creaturas; an vero unus, et idem, qui versetur circa Deum diverso modo consideratum, et quomodo talis actus sit simul necessarius et liber, multiplex theologorum opinio est; etiam inter Thomistas. Nam ex una parte, quod non sint diversi actus inde deducitur, quia tales actus non possunt distingui specie, sed numero, cum habeant eandem rationem formalem objecti, scilicet, divinam bonitatem in se, qua ratione neque veritas viæ, et patriæ distinguuntur specie secundum peritorum theo-

logiam, neque dilectio Dei, et proximi sunt actus specie diversi, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. XXV, a. 1. Duo autem actus solo numero diversi non possunt esse simul in eodem subjecto, etiamsi habeant diversos aliquos respectus, seu modos, alias non repugnaret duas albedines simul esse in eodem corpore, unam magis, aliam minus intensam, qui sunt modi diversi. Ex alia autem parte, si non sunt distincti actus, sed unus, qui simul est necessarius quoad Deum, liber quoad creaturas, et similiter liber respectu Dei, ut est ratio diligendi creaturas (semper enim ratio formalis, prout talis, eodem modo tangitur, quo res ipsa) tunc est difficultas, quomodo in illo actu explicari possit libertas quoad exercitium, qualis ponitur in creaturis: nam ista libertas consistit in indifferentia ad elicere, et non elicere, ad diversos actus non specie distinctos, sed numero, quia licet non possit elicere actum oppositum, verbi gratia odii (quæ esset libertas contrarietatis) possit tamen elicere hunc amorem numero, vel alium, aut ab eo se suspendere. Tunc autem non potest id facere in illo amore etiam prout tangit creaturas, quia cum sit idem cum amore necessario erga Deum, non potest alium actum elicere, vel ab eo se suspendere, nisi mutando, aut cessando ab illo actu necessario, quod esse non potest. Unde nec est simile de actu ipso, quo Deus se diligit necessario, et creaturas libere, quia libertas in Deo non est penes egredi actum, sed elici a potentia, vel non elici, sicut in nobis, quia actus ibi non exit a potentia, sed penes tangere objectum, et dare illi esse, vel non dare: quod pertinet ad summam Dei eminentiam super objecta, eo quod non supponit objecta ille actus sed constituit: nulla au-

tem creata voluntas constituit objectum, sed supponit, et ideo non potest sic exercere libertatem actus.

XLII. Respondetur ergo probabilius videri, quod idemmet actus amoris, qui regulatur amore beatifico, ut tangit Deum in se absolute, et ut summa bonitas est, est actus necessarius, ut autem tangit Deum respective ad creaturas, vel ipsas creaturas propter Deum, est actus liber; quia sic induit diversas considerationes, et formalitates, seu modos, non quidem diversas rationes formales specificantes, quia istæ sumuntur ex diverso modo movendi in ratione boni, sed diversas rationes modificantes, et constituentes diversum statum liberi, vel necessarii, eo quod charitas ita respicit bonitatem divinam, quod se extendit ad omne, quod Dei est; unde ex ratione sua formali complectitur Deum in se absolute, et respective ad creaturas, sed tamen in se absolute necessitat voluntatem cum videtur clare, quia summa, et plena bonitas est respective ad creaturas, seu creaturas propter ipsum non necessitat, quia limitatam, et creatam bonitatem terminative respicit in ipsa creatura. Sed tamen talis actus charitatis ita habet libertatem, cum exit regulatus a divina visione, quod semel procedens non potest amplius desinere, nec mutari, quia æternus, et immutabilis est, nec pugnat ista immutabilitas cum libertate, sicut Angeli habent inflexibilitatem postquam semel libere elegerunt. Et sic tota libertas, et vis meriti in actu charitatis Christi fuit in illo primo egredi a voluntate, sicut quando: *Ingressus mundum dicit: Ecce venio, ut faciam Deum voluntatem tuam*, ad Heb. X, tunc enim ita dilexit nos in Deo, quod potuit non diligere, vel non sic, sed alio modo, et alio actu



potuit egredi ille actus a voluntate.

XLIII. Quo si Christus novos actus charitatis eliciebat post primum, illi non poterant regulari visione beata, quia inde resultat actus necessarius quoad Deum, liber quoad creaturas immutabiliter, et æternaliter mensuratus. Semel enim egressus non potuit cessare, nec mutari, licet plures actus meritorios haberet Christus in eliciendis, et impelandis actibus aliarum virtutum. Et sic non fuit liber ille actus sicut actus Dei, quia in ipsa prima egressione potuit entitative esse alius, aut alio modo, quod divinus actus non potuit, quia non egreditur a voluntate. Nec tamen fuit liber, sicut nostri actus, qui possunt cessare, et deficere, sed fuit inflexibilis, et immutabilis, quia fuit actus vitæ æternæ.

XLIV. Nec repugnat, quod idem actus entitative non possit deficere quoad principalem, et specificam rationem, possit autem deficere quoad illum respectum ad objectum secundarium, quia hoc solum extensive, et accidentaliter sibi identificatur; sicut eadem forma potest præbere in uno subjecto effectum formalem secundarium, in alio non præbere, licet per suam entitatem illum præbeat, quia hæc communicatio accidentaliter sibi est.

XLV. Aliunde vero potest esse difficultas, quomodo ille actus sit liber, si regulatur visione beata, et videt in Deo quidquid facturum est; ergo supponit existentiam actus futuri; ergo jam non manet possibilis oppositus actus; ergo nec est liber, quia libertas est ad opposita. Respondetur videri in Verbo quid futurum sit, et quid faciendum, et modum, quo faciendum est, scilicet libere, et videt oppositum actum esse possibilem absolute, et potentia antecedenti, licet non ex suppositione

quod iste fiet, et potentia consequenti, quod non tollit libertatem.

XLVI. Ultimo arguitur: Quia actus charitatis est idem in via, et in patria tam ex parte habitus charitatis elicentis, quam ex parte objecti, circa quod versatur, nec diversa propositio objecti sufficit illum variare penes liberum, et necessarium; ergo si hic in via est liber, ut manifeste constat, etiam et in patria. Consequentia patet, quia non est aliquod principium unde varietur liberum, et necessarium nisi vel ex parte habitus, vel ex parte objecti, vel ex parte dictaminis, et propositionis intellectus. Si hæc non sufficiunt variare, nihil est quod diversificet, et mutet liberum in necessarium. Antecedens vero probatur. Nam quod ex parte habitus non mutetur liberum in necessarium, constat, quia est idem habitus charitatis in patria, qui in via, non solum idem specie, sed etiam numero, quia charitas nunquam excidit; in via autem habitus charitatis inclinatur ad actum amoris liberum; ergo et in patria. Non variatur etiam ex parte objecti, quia objectum in se est idem, scilicet divina bonitas: esse autem clare, vel obscure cognitum non variat rationem liberi, vel necessarii: quia libertas, vel necessitas, seu determinatio in operando non sumitur ex objecto, sed ex operante, quod habet dominium, et potestatem super elicentiam sui actus, quod dominium, et potestatem intrinsecam non tollit ratio visi, vel non visi ex parte objecti, quæ est denominatio extrinseca. Non denique variatur hæc libertas ex parte applicationis, et propositionis objecti, quia hæc propositio habet se sicut applicatio, et approximatio objecti, et quando est obscure cognitum minus applicatur, major autem, vel minor approximatio, et

applicatio objecti non facit actum necessarium, aut liberum, seu contingentem, sed solum conducit ad magis, vel minus diligere, si quidem libere, vel necessario operari (ut dictum est) non procedit ex applicatione diversa objecti, sed ex principio intrinseco voluntatis, quod non variatur.

Si autem dicatur, Deum clare visum necessitare voluntatem, quia est principium efficiens illius operationis, contra est; tum, quia Deus ad extra nihil operatur necessario, sed libere; tum, quia objectum per se effective non concurrat, sed mediante potentia voluntatis, et applicatione intellectus, quæ libere se habent.

XLVII. Confirmatur, quia si actus charitatis in patria est necessarius, non potest esse idem cum actu charitatis in via, sed diversus, et discontinuus, quia non eodem modo exit actus a voluntate si libere exit, et si necessario: imo non videtur posse esse actum ejusdem speciei, quia naturaliter procedere seu cum ultima determinatione, et libere, id est, sine illa, plusquam numericam petit distinctionem, constat autem quod charitas viæ, et patriæ continuantur, quia charitas nunquam excidit: ergo, etc.

XLVIII. Respondetur necessitatem hanc in exercitio (ut supra diximus) non provenire ex objecto, ut præcise objectum est, quia sic solum specificat, nec ex voluntate, aut habitu charitatis in tota amplitudine consideratis; sed ex voluntate, et habitu in tali dispositione, et statu, scilicet prout subsunt, et regulantur per iudicium, et dictamen non indifferens. Et negamus quod iudicium, et propositio objecti habeat solum rationem nudæ, et extrinsecæ applicationis, sed habet rationem conditionis sine qua non, et principii ita essentialiter requi-

siti, quod ex ipso originatur omnis determinatio, vel indifferentia voluntatis; quia saltem sine indifferenti propositione, et cognitione objecti implicat indifferenter esse volitum. Et licet visum, et non visum solum ponant in objecto denominationem extrinsecam, tamen iudicium, quod formatur de Deo clare viso est sine indifferentia, quia est de summa, et universalissima ratione boni, et distinguitur ab eo, quod est cum indifferentia, et non videt ipsum Deum in se. Et sic illa propositio objecti non est applicatio sola agentis ad agendum, sicut applicatio ignis ad comburendum, sed est dispositio, et status ipsius objecti, et modificatio secundum quam ipsa bonitas objecti ita apparet, vel non apparet, quod diverso modo movet voluntatem, et dictamen intellectus reddit indifferens, aut determinatum, et consequenter tollit, vel relinquit indifferentiam voluntatis.

XLIX. Et cum instatur, quod libertas sumitur ex principio intrinseco, scilicet ex dominio et potestate voluntatis, distingo; ex principio intrinseco, ut regulato, et subjecto dictamini intellectus, concedo; non subjecto, nego. Ex sua enim natura voluntas habet utrumque principium, et operandi necessario, ut patet in motibus subitis, et operandi libere, ut in plena advertentia. Et similiter necessitatur, et tollitur indifferentia, cum proponitur bonum universalissimum sine ulla limitatione, aut apparentia mali. Applicatur vero, et determinatur iste modus penes dictamen, et iudicium de objecto, quod si est indifferens, relinquit voluntatem determinatam, et datur ei etiam concursus cum modo indifferentiæ. Si autem sit omnino determinatum, et sine ulla indifferentia, etiam relinquit voluntatem omnino determinatam, et ne-



cessitatem, et sic est in præsentibus. Quare ex ipsamet natura voluntatis, et sine ulla minoratione, aut mutatione suæ potestatis, et domini habet voluntas respectu objecti sic propositi cum omnimoda determinatione, et adæquata, ac summa plenitudine boni, sine ulla indifferentia ferri; quia ipsum bonum sine ulla indifferentia proponitur; respectu vero objecti indifferenter propositi, indifferenter ferri, sic exigente ipsa natura, et dispositione voluntatis pro tali statu, et dispositione.

L. Ad confirmationem respondetur probabilius mihi videri, quod non est idem numero actus, qui in via elicitur a charitate, et qui in patria propter maximam mutationem, quæ fit a libero, et contingenti in necessarium, et propter diversam regulationem dictaminis; quia in patria ipsa visio rapit totaliter voluntatem, in via agitur indifferenter a fide. Nec tamen excidit charitas, quia idem habitus eademque ratio formalis, et substantialis manet hic, et in patria, licet accidentaliter multum varietur, sicut non excidit charitas in via ex eo quod intermittantur actus, et modo eliciat unum, modo alium diversum numero.

LI. Quod si instes: Potest Deus præcipere beato, ut cesset a visione, seu dilectione, aut velit ab illa cessare, si Deus subtraxerit concursum, et potest, ac tenetur beatus se illi conformare; ergo est liber, quia est capax præcepti. Potest etiam habere hunc errorem beatus, quod cadet in miseriam, si non cessaverit a dilectione, aut visione: ergo potest velle cessationem ab eis, respondetur hæc argumenta Holcot, non convincere. Dicimus enim quod non potest poni præceptum beato, ut stante visione cesset a dilectione, vel stante lumine, et concursu Dei

cesset a visione, non magis quam si præciperetur, ut apertis oculis, et posito objecto, et lumine non videam: quia hæc omnia necessaria sunt, non ex aliqua extrinseca suppositione, sicut Christus Dominus non potest peccare, sed ex intrinseco principio, scilicet ex ablatione indifferentiæ in iudicio, quæ directe tollit libertatem; in Christo autem non obstante impeccabilitate manet indifferentia iudicii quoad libertatem contradictionis, licet non contrarietatis. Potest tamen præcipi beato, ut patiat sibi auferri a Deo visionem, aut concursum ad dilectionem, et in hoc volito potest conformari, quia hoc liberum est, et exercendum pro tempore, quo ablata fuerit visio, et concursus, non manentibus illis. Ad illud de errore dicimus, illum esse impossibilem, quidquid sit, an in aliis rebus possit beatus habere errorem negativum, seu nescientiam. Quod vero putet se lapsurum in miseriam, si non careat visione est perinde, ac dicere, quod cadet in infelicitatem si non careat ipsamet felicitate, quod implicat.

#### ARTICULUS VIII.

##### *Quæ sunt dotes beatitudinis in anima.*

I. Assignantur beatis dotes ducta metaphora a matrimonio humano in hac vita, in quo sponsæ assignatur dos, id est, bona aliqua, tum in solatium matrimonii, ejusque sustentationem; tum in ornatum ipsius sponsæ; nec dos assignatur uxori quousque solemne reddatur matrimonium, et traducatur in domum sponsi, ut dicitur lege dotis, ff. de jure dotium. Si cum in beatitudine sit conjunctio perpetua inter animam, et Deum, quasi matrimo-

nium inter sponsam et sponsum, præter ipsam beatitudinem, quæ est ipsa conjunctio, assignantur a theologis dotes, quasi ornamenta quædam sponsæ, alia quidem ex parte animæ, alia ex parte corporis cum resurrectione fiet, de quibus scholastici cum magistro in IV, dist. XLIX, et dist. XLIV D. Thomas ibi, et in additionibus, q. xcv, et de dotibus corporis a quæstione LXXXII. Prius ergo agemus de dotibus animæ; deinde de dotibus corporis.

##### DOTES ANIMÆ QUIDQUID ET QUOT SINT.

II. Ut a ratione generica incipiamus supponendum est ex D. Thomæ quæst. xcv citata, art. I, quod dos non accipitur in præsentibus in lata significatione prout quodlibet donum, seu perfectio alicujus dici solet dos, ut cum dicitur aliquis dotatus scientia, aut viribus, aut fortitudine, etc. Si enim hoc modo loqueremur, non esset necesse speciales assignare dotes in beatis, sed omnis perfectio eorum dos nominaretur et tam in Christo, quam in Angelis assignaretur, qui magnis perfectionibus dotati sunt, quibus tamen communiter non assignantur dotes ita proprie, quia nec sponsæ munus, aut nomen eis competit, sed Christus est sponsus, et Angeli ministri, et quasi paranymphe. Et præterea Angeli non conveniunt in natura cum Christo, sicut homines, licet conveniant in gloria, et ideo proprie non sunt sponsa. Sumitur ergo ratio dotis secundum aliquam analogiam, et similitudinem ad dotem, quæ assignatur in matrimonio carnali, quæ alicuius imperfectionibus, quæ in cælesti desponsatione locum non habent. Et concurrunt fere tres conditiones ad dotem. Primo, quod assignetur sponsæ, et ad proprieta-

tem ejus pertineat; unde soluto matrimonio remanet in dominio uxoris, et hoc pertinet ad causam subjectivam, seu ex parte subjecti. Secundo, ex parte causæ finalis, quod detur ad sustentanda onera matrimonii in subsidium viri, et ad decentiam et ornatum sponsæ, ut sic decentius jungatur sponso; unde alia est dos naturalis, quæ ipsis feminis a natura tribuitur, scilicet virginitas, et pudor; alia civilis, quæ consistit in bonis fortunæ, et divitiis. Tertio, ex parte efficientis requiritur, quod dos tribuatur mulieri a parentibus, vel ab his, quæ ex parte ipsius mulieris sunt. Nam quod datur a sponso ipsi sponsæ, proprie non est dos, sed sunt vel arrhæ, vel largitas sponsalitia; sed tamen aliquando contingit dotem assignari a sponso ipsi sponsæ, non tamen quatenus sponsus est, sed alia aliqua ratione, vel in pœnam, ut si ipse seduxit virginem, et corrupit, ut dicitur Exodi XXII, vel propter inæqualitatem conditionis, ut si puella sit longe nobilior, aut junior, ut communiter fit, vel ex nimio affectu, et amore ad sponsam, cujus paupertatem, aut desolationem vult dote recreare. Unde Genes. xxxiv Sichem propter ardentem amorem erga nuptias Dinæ dixit Jacob, et filiis ejus: *Augete dotem, et postulate munera.*

III. Propter hanc ergo causam, scilicet propter charitatem suam nimiam, qua dilexit nos Deus, voluit Pater ita facere nuptias Filio suo, quod sponsam ejus etiam dotaverit, et præparaverit ei. Unde dicitur Apocalyp. XIX: *Quod venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se, et datum est illi ut cooperiat se bysso splendido, et candido.* Quare non est necesse hanc conditionem ita exacte servare in dote, quod semper debeat assignari a parentibus puellæ, sed potest etiam tribui a sponso.